te ipsâ meritam esse. Gratulor proinde utrique nostrûm et, quod ad te solum spectat, gratias pro eleganti, mu=nusculo ago, quas referre malim maximas. Conabor autem vel invenire occasionem, vel nasci facere, quâ hoc officio cominus defungi possim, atque imprimis te precari, ne memor ultra sis molestiæ, quâ te venatum ivi impudens exactor, et praeter morem modumque importunus. Vale Virgo Nobilissima, et me tui gregis, perge scribere, quamdiu hâc aurâ vescimur. Hagæ Com: prid: Cal: dec: CIↃIↃCLXVI.

(501).

Leænæ meo. Siquid minus hîc appositè, et quod interesse meâ credas Regi optimo, maximoque non exhiberi, tui arbitrii facio, ut quod dictum est, sit non dictum; si toleranda protuli, patior equidem et cupio hoc epistolio sic utaris, ut meis tam innumeris ineptiis uti soles, quoties me meæ mentis interpretem potius, quam te ipsum adhibere voluisti pro tuâ sapientiâ. Quod hic verò te partes meas agere obtester apud Prin=cipem, cui dignas ego gratias referre non magis valeo quam stipes, quam id seriò à te petam vel hinc vide, quod ne quidem, Optime amicorum, meis verbis testari aggrediar, quantum humanitati tuæ me debere intelligam. quæro Rhetorem, cui satis suppetat, et audaciæ et facundiæ, ut hoc me officio sublevet, non nunc demum, sed hoc ~~officio~~ benificio nunc tamen quam arctissimè, suavissimo Leænæ meo, et nodo non solubili obstrictum. Quanti verò non illud est, quod ex animo te gaudere testaris ob eventum rei, non alio nomine ad te spectantis, quam quod mihi gratam et acceptam censes!, et si ad Cantiunculam redire licet, quod utrimque tacti sumus, vous de plaisir, et moy d'aise! Explicabit ista Rhetor meus, μετὰ πολλῆς φαντασίας, siquidem fieri potest, ut quis tanto muneri par et idoneus reperiatur, quando hîc Tulliorum dura annona est. Vale meum decus, et molestiam, quâ te obruo, boni consule. 6. Jan. 1667.

G. Brandt: Vir Amplissime. (502).

Variis compluribusque hâc æstate excursiunculis distractus, parum officiosè me gessi erga amicos, quorum

quorum epistolis responsa me debere nunc demum re
perio, cum in cumulum res excrevit. Inter hos te
praecipue censeo, qui me, quod putibundus tepulo, inde a 15 Martij
munusculis beasti literarijs, longè mihi gratissimis, cum
quod Barlaei mei memoriam jucundissimè animo re
praesentant, tum quod felicis venae vernaculae, quâ polles
praeclaros, et multâ Pietate conditos attulère fructus.
Culpam hanc non de latissimis, ob eam quam dixi cau
sam, quaeso te, ut pro humanitate tuâ condones
et me amare non cesses, qui nunquam esse desinam

Tui studiosissimus.

6. Oct. 1667.

Frederico Gronovio. (503)

Non sum nescius, Gronovi Doctissime, quam insanè
de te sentiat, qui hujusmodi nugas non indignas ~~putet~~
putet, ad quas de solio summae eruditionis tuae des
cendas Lector: quando tamen inter Autores publicos
vi producor, id est amico non tam precibus quam
imperiis, parum officiosè me erga te gesturus vi
debar, si quid forte meorum tibi obveniret à non meâ
manu, quam tu olim muneribus literarijs de ~~tuo~~
tuo penu implesti, longè mihi gratissimis, et
orichalco contra non charis. Hoc te quaeso, argu
mento veniam da obtundenti, et me ama

prorsus tuum.

Postrid. non. Oct. 1667.

Schurmannae. (504)

Fallo fidem, Virgo mea, et ille ego qui, cum tibi,
tum Patriae universae, non semel sum pollicitus,
hujusmodi nugis amplius non fore molestum
ecce κατὰ τὴν ἀληθῆ παροιμίαν ἐπὶ τὸ ἴδιον
ἐξέραμα ἐπιστρέφω. Me autore tamen non est factum
ut lucem publicam exponeretur hoc Poemation. Amicis
ita placuit, et quidem pro imperio. Nemine satis
hoc considerante, ut, cum aetate, labascunt vires,
necessariò τὰ ἔσχατα τῶν πρώτων χείρονα fieri.
Quidquid ejus sit, nefas ego duxi aliquid meum
aliunde tibi, quam ab autore obvenire. Explica
hîc, et applica totam humanitatem tuam, tot
tua longè potiora studia, quâ soles benevolentiâ
admittens. Vale, saeculi et nostrum decus à
semper tuo, qualem nosti C. Hugenio.

7 Octob. 1667.

Westerbanio.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 176v-177r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/6617